

claritate. Et similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit, quod conversatio hominis, sive actio eius sit bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus sect. praeced. idem esse virtutem, quae secundum rationem moderatur omnes res humanas. Et ideo *honestum est idem spirituali decori*. Unde Augustinus dicit (Libr. 83. qq. quæst. 30.): *Honestum voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus: et postea subdit, quod multa sunt pulchra visibilia, quae minus proprie honesta appellantur.* (Summa th. 2. 2^o q. 145. a. 2.)

DISPUTATIO III.

DE SUBSTANTIA ET ACCIDENTE

SECTIO I.

Notio substantiae et accidentis declaratur.

514. Consecutio ad praecedentia. — In dupli disputatione praecedenti generalissimam notionem entis, tum in sua obiectiva ratione, tum in suis attributis universe consideravimus. Examinanda modo est duplex partitio, quam ante immunius [429], quæque ad ipsam rationem entis generalissimi penitus penetrandam non parum inservit. Ea porro non est alia ab ea, quam Aristoteles in septimo, octavo, et nono suae Metaphysicae libro con-

templatur, et his verbis exponit S. Thomas. ⁴ Ens dividitur uno modo secundum quod dicitur *quid*, scilicet substantia, aut quantitas, aut qualitas, quod est dividere ens per decem praedicamenta: alio modo secundum quod dividitur per *potentiam* et *actum*. (3. *Metaph.* lect. 1.) Iam age in praesenti disputatione primam partitionem expendemus, alteram in sequenti. Tanti vero momenti est haec tractatio, ut Aristoteles non dubitaverit asserere (6. *Met.* al. 7. c. 1.), totius Metaphysicae speculacionem et *maxime* et *primum* et *quasi unice* versari in ipsa propria ratione substantiae perscrutanda. Ut enim ibidem egregie ait: *Quod primo est ens, et non aliud ens (secundum quid), sed simpliciter ens, substantia est. Multis quidem modis primum dicitur; attamen substantia et ratione, et cognitione, et tempore omnium primum est. Aliorum enim categoriem nullum est separabile, sed haec sola. Ratione quoque hoc primum: necesse est enim in cuiusvis ratione inesse rationem substantiae. Scire etiam tunc putamus unumquodque magis, cum quid sit homo, aut ignis sciamus, quam quoniam quantum, aut quale, aut ubi.* Lege S. Thomam (7. *Metaph.* lect. 1.). Ut itaque maior i qua possumus diligenter procedamus, ante omnia utrinque nominis interpretationem, ut communii hominum sensu accipitur, in hac sectione trademus.

515. Substantiae et accidentis nomina unde derivantur. — Substantiae nomen a *substo* sive *subsisto* ducitur. Quare Augustinus. *Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus.* (7. *De Trin.* c. 4.) Subsistere autem, ut ipsa huius verbi compositio præ se fert, perinde est ac *sub aliis esse*, tamquam eorum fundatum, quo modo basis dicitur subsistere columnæ. Quocirca substantiae nomen acceptum est ad significandum id quod in re concepit, quasi primum sustentaculum seu fulcimentum ceterorum, quæ eidem supervenient, quæque propterea accidentia vocantur, ut quæ accidunt rei in suo primo esse constituae. Apposite Sylvester Maurus. ⁵ Substantia est ens primum constitutum per primum esse; accidentis

est entis ens seu ens secundarium constitutum per esse non primum. Similiter substantia est ens per se stans constitutum per esse per se stans et non adiacens alteri esse; accidens est ens non per se stans, sed constitutum per esse adiacens et accidens alteri esse. Substantia est ens fundamentale ac substans constitutum per esse non fundatum ac receptum in alio esse, sed fundans ac recipiens omnia alia esse; accidens est ens fundatum ac receptum constitutum per esse fundatum ac receptum in alio esse. (Qq. Philos. lib. 2. q. 7.) Hic vero diligenter observandum est, duo quidem contineri in notione seu significatione substantiae modo declarata, sed non eadem necessitate. Primo enim ratio substantiae declaratur ex munere, quo fungitur, substantiandi videlicet accidentia: dein vero secundum perfectionem program sui esse, quod videlicet consimili fulcimento non indigat, ac propterea in se ac per se constet. Etsi porro prior ratio potissima est, si impositionem nominis spectemus; nos enim ex accidentibus pervenimus ad cognitionem substantiae et per habitudinem ad illa eam primo concepimus: si tamen res ipsa absolute spectetur, altera conditio seu ratio, ut scire observat Suarez, est simpliciter prior, immo ex se sufficiens ad rationem substantiae sine posteriori. Unde in Deo perfectissima ratio substantiae reperitur; quia maxime est in se ac per se, etiamsi accidentibus non substet. Immo si per possibile fieri posset aliqua res creata incapax accidentium et natura sua nullo subiecto indigens ad existendum, illa esset profecto substantia absque proprietate substandi, non tamen sine conditione in se seu per se essendi. Est ergo ratio prior et essentialis. Altera vero metaphysice apprehenditur a nobis per modum proprietatis concomitantis omnem substantiam finitam ob suam limitationem et imperfectionem. (Metaph. D. 33. sect. 1. n. 2.)

516. **Definitio propria substantiae et accidentis.** — Ex praedicta nominis interpretatione facile possumus elicere communem definitionem seu potius descriptionem substantiae et accidentis, quale his verbis traditur a san-

ceto Thoma: *Substantia est res, cuius naturae debetur esse non in alio; accidens vero est res, cuius naturae debetur esse in alio* (Quolib. 9. a. 5. ad 2.). Ut vero utraque definitio probe intelligatur, duo sunt diligenter animadvertenda.

I. Consulto dicitur in utraque descriptione *res, cui debetur esse*, non vero, ut pluries dici solet, *res quae est*. Ratio perspicua est. Substantiae enim et accidentis praedicata sunt essentialia, primum quidem rerum subsistentia, puta hominis, vel leonis, alterum vero respectu rerum quae substantiam modificant, puta, qualitatis, actionis, et similius. Atqui *esse* non est praedicatum essentialie nisi solius Dei. Quare S. Thomas: *“Dicendum, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum, quod est esse non potest esse essentialia substantiae vel accidentis. Non est ergo definitio substantiae ens per se sine subiecto; nec definitio accidentis ens in subiecto: sed quidditatibus seu essentialiis substantiae competit habere esse non in subiecto; quidditatibus autem sive essentialiis accidentis competit habere esse in subiecto.”* (Summa th. 3. p. q. 77. a. 1. ad 2.) Id ipsum monet (1. p. q. 3. a. 1. ad 2.). Quare quod in recto significatur nominibus substantiae vel accidentis, non est *esse* alterius, sed *essentia*, cuius actus est *esse*.

II. Propria differentia substantiae ab accidente significatur per proprium modum essendi, qui utriusque convenit seu conaturalis est. Hic porro modus essendi explicatur per hoc quod est *esse non in alio*, vel *esse in alio*. Ea porro forma dicitur esse in alio, prout in Logica monimus [76], quae afficit vel modificat subiectum extra rationem seu praeter eius quidditatem existens. Id ipsum significavit Aristoteles (Categ. c. 2.) his verbis: *In subiecto esse dico, quod ita est in aliquo, ut non sit eius pars, et impossibile est esse sine eo, in quo est.* (1)

(1) ^{“Cum subsistens sit propria naturae substantialis, videndum est, quid sit proprium accidentis, ut ex modo contrario essendi colligamus, quid sit subsistere. Est autem proprium accidentis esse in alio, ut constat ex communi definitione ab omnibus tradita, qui}

517. **Corollaria doctrinae praecedentis.** — Ex dictis haec inferuntur.

I. Substantiae notio accipi potest vel *transcendenter* vel *praedicamentaliter* pro duplci modo, quo accipi potest ipsa ratio *entis* cui debetur esse per se. Est itaque notio *transcendens*, si ratio *entis* universe concepit, prout praescindit, utrum res sit per essentiam vel per participationem [437. I.]. Hoc modo intellecta ratio substantiae analoga est, sicut ipsa notio *entis*, et communis *Deo ac creaturis*. E converso erit notio *praedicamentalis*, si ratio *entis*, cui debetur esse per se, contracte accipiatur pro re, cui convenit *esse habere*, non vero pro re, quae sit *ipsum esse* subsistens. Haec porro est ratio propria substantiae, quae supremum genus constituit primae categoriae, quaeque propterea univoco praedicatur de omnibus ac solis substantiis creatulis. Confer quae ante diximus [80, 83].

II. Notio substantiae, tametsi per negationem a nobis explicatur, est re ipsa positiva. Designat enim positivam perfectionem rei, quae in seipsa constet, quae perfectio a nobis explicatur per negationem imperfectionis propriae accidentis, quod ob deabilitatem sui esse indiget alieno fulcimento, cui adiaceat. Ideo porro rem sic explicamus, quia accidentia sunt nobis notiora, quemadmo-

en in communi dividunt in ens per se et ens in alio, ita ut *in alio* sit propria differentia accidentis, *per se* vero sit propria differentia substantiae. Quid vero intelligatur per *esse in alio* constat ex natura et quiditate accidentis; quod ideo dicitur accidentis, quia accedit seu advenit alieni constituto in suo esse completo. Nam hec forma substantialis advenit materiae, et unio utriusque, non dicuntur tamen esse in alio, quia materia absque forme nondum est *aliquid* nec *hoc aliquid*, sed entitas incompleta exigentes uniuersum, ut faciat totum. At vero albedo advenit homini, qui est aliud et ens totale completum. Est ergo proprium accidentis esse in alio, h. e. immitti alio ente completo, sine quo non potest naturaliter esse, et igitur dicitur non subsistere, sed adiacere alteri. Substantia ergo e contra hoc habet proprium, quod scilicet non sit in alio, sed per se, h. e. quod non indiget alieno fulcimento vel sustentaculo, sed seipsum sustinet in se, quod est proprium subsistere in se. De Lugo (*De Incarnatione*, D. 12. n. 35.)

dum ab eamdem causam declaramus positivam perfectio-
neum rerum simplicium per negationem compositionis.

III. Esse proprium accidentis naturaliter subaudit esse proprium subjecti cui supervenit, ac propterea ex coniunctione sui cum eo minime causatur ipsum esse in quo res subsistit. Hinc nulla substantia incipit, vel desinit simpliciter esse eo quod accidens aliquod ei supervenit vel ab eo separatur; sed solummodo incipit vel desinit esse talis vel tanta vel tali modo se habens. Sic homo ex. gr. incipit quidem simpliciter esse, cum generatur in suo esse substantiali, ac simpliciter desinit esse cum per mortem a tali esse decidit: contra, cum philosophiam addiscit, vel agrotat, incipit *esse philosophus* vel desinit *esse sannus*. (1)

IV. Perperam omnino ac dolose descripta substan-
tiae notio a Baruch Spinoza corrupta fuit, quo pernicio-
sissimo suo errori viam strieret. Sic enim definitiv.
* Per substantiam intelligo id, quod in se est et per se
concepitur; hoc est, id cuius conceptus non indiget con-
ceptus alterius rei, a qua formari debeat. (Ethic. p. 1.
def. 3.) Hinc deinde conatur adstruere non dari nec esse
possibilem nisi unicam substantiam, ac cetera omnia non
esse nisi modificationes illius. Iam vero nemo non videt
duo hic commisceri plane diversa, videlicet exigentiam
subjecti, cui res inest, cum exigentia *causae cuiusque*, a

(1) * Illud, cui advenit accidentis, est ens in se completum consi-
stens in suo esse; quod quidem esse naturaliter praedicit accidentis,
quod supervenit: et ideo supervenientis, ex coniunctione sui cum eo,
cui supervenit, non causat illud esse in quo res subsistit, per quod
res est ens per se, sed causat quoddam esse secundum, sine quo
res subsistens intelligi potest esse, sicut primum intelligi potest
sine secundo vel praedicatum sine subjecto. Unde ex accidenti et
subjecto non fit unum per se, sed per accidentem: et ideo ex eorum
coniunctione non resultat essentia quaedam, sicut ex coniunctione
formae cum materia. Propter quod accidentis negare rationem com-
plete esse habeat, neque pars complete esse habeat; sed sicut
est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet.
S. THOMAS (Opus. *De Ente et Essentia*, c. 7.)

qua res dependet. Etsi vero subiectum causae rationem habet, *materialis* scilicet, non tamen omnis causa continuo habet rationem subiecti. Quocirca potest utique res aliqua non indigere alia re, cui tamquam subiecto insit, tametsi ab alia re dependeat, sicut a sua causa, puta efficienti vel finali. Porro prior independentia est de communione substantiae, ut explicatum est, non posterior, ac propterea nihil omnino prohibet, quoniam plures et diversas substantias existant, licet unica sit dumtaxat quae est plane independens in quicunque causarum genere. Apposite S. Thomas. "Esse creatum, ait, non est per aliquid aliud, si ly per dicat causam formalem intrinsecam; immo ipso formaliter est creature: si autem dicat causam formalem extra rem, vel causam effectivam, sic est per divinum esse, et non per se.", (1. *Dist.* 8. q. 1. a. 2. ad 2.) (1)

518. Divisio substantiae in primam et secundam. — Hanc divisionem tradit Aristoteles pluribus in locis, sed praesertim c. 3. al. 5. *Categoriarum* eamque indicavimus in Logica [77]. Nominatum porro substantia prima ipsummet *individuum in genere substantiae*: substantia vero secunda dicuntur praedicta *substantialia specifica et generica*. Quo vero id plenius intelligatur, observa subiectum, gr. ὅτοκεῖνον, posse accipi primo et secundo intentionaliter. Primo modo si accipiatur, ita vocatur *subiectum inhaesioneis*, et est praecise ipsa substantia respectu accidentium, quae ei insunt. Id porro satis declaratum est.

(1) Id ipsum perspicue, ut solet, ita declarat Sylvester Maurus. Quadruplex est esse. Primum est esse a se et hoc est esse divinum. Secundum est esse non a se, sed *per se*, quod ita est ab alio, ut non sit in alio esse, tamquam in subiecto; et hoc est esse substantiae creatae, quae ita est a Deo, ut non sit in alio esse, tamquam in subiecto. Tertium est esse non a se neque per se, *sed ab alio et in alio esse*; et hoc est esse accidentium, quod non solum est esse ab alio esse, sed etiam est in alio tamquam in subiecto. Quartum est esse, quod non solum est ab alio, et in alio, sed etiam *ad aliud extrinsecum*, tamquam ad terminum; et hoc est esse relationis accidentalis. (Qq. *Philos.* vol. 1. q. 53.)

Accipitur contra subiectum secundo intentionaliter in ordine ad logicam praedicationem, et sic venit hoc nomine *id de quo aliquid praedicatur*, praedicatione quidem non indirecta et imnaturali, sed directa et naturali [111, 113]. Quamquam vero haec altera consideratio proprio iure ad Logicam spectat, hie tamen adhibetur, quia per eam prior subiecti ratio, quae proprie ad Metaphysicam pertinet, perniitus intelligitur. Nam age, substantia tum prima tum secunda convenient in hoc, quod neutra sit in alio, tamquam in subiecto inhaesioneis: sic enim utraque distinguuntur a proprio modo essendi, qui convenient accidentibus. Differunt autem in eo quod substantia prima est praeterita *primum subiectum logicae praedicationis*, et de nullo praedicari habet, ex. gr. Petrus, Paulus; contra, substantia secunda, tametsi in nullo insit, praedicatur de prima, quo modo dicimus, *Petrus est homo*, *Petrus est animal*. Quare substantia prima definitur a Philosopho loc. cit., *quae neque de subiecto quopiam dicitur, neque in subiecto quopiam est*, ut hic homo, hic equus: secunda vero, *quae in subiecto est sed de subiecto dicitur*, ut homo, animal. Apposite S. Thomas. "Et hoc est (sc. substantia prima), quod est *hoc aliquid*, quasi per se subsistens, et quod est separabile, quia est ab omnibus distinctum, et non communicabile multis. Et quantum ad haec tria differunt substantia particularis ab universalis. Primo quidem, quia substantia particularis non praedicatur de aliquo inferiori, sicut universalis. Secundo, quia substantia universalis non subsistit, nisi ratione singularis, quia per se subsistit. Tertio, quia substantia universalis est in multis, non autem singularis, sed est ab omnibus separabilis et distincta." (5. *Metaph.* lect. 10.)

Ex dictis pronom est inferre, verissime dictum fuisse ab Aristotele l. c. nonnisi primam substantiam sic vocari *propriorissime, primo, et maxime*. Subsistere enim non convenient species aut generibus nisi ratione individuorum; non enim subsistit homo, vel animal, nisi in quantum subsistit hic homo, vel hoc animal. Quare S. Thomas. "Genera et species non sunt aliquae res vel naturae aliae

a singularibus, sed ipsam singularia, sicut non est homo, qui non sit hic homo. (7. *Metaph.* lect. 13.) Huius rei gratia Aristoteles, ut alibi notavimus [340], dixit (cap. 2. *Categor.*), solam substantiam primam significare *hoc aliiquid* vere et proprio; nomina vero secundarum substantiarum potius significare *quale quid*, videri autem significare *hoc aliiquid* per figuram appellationis, h. e. ex modo significandi nominis, quod cum absolutum sit, significat rem illam per modum subsistentis, et si vere per se non subsistit nisi in singularibus. Consulto autem addit. "Non simpliciter *quale quid* significant, velut album. Nihil enim aliud significat album, quam quale: species vero et genus *circa substantiam quale* denotant; nam aliqualem substantiam significant. "

519. **Substantia completa et incompleta.** — Altera divisio summi momenti ad propriam substantiae notio nem praeformandam ea est, qua substantia alia dicitur esse *completa*, alia *incompleta*. * Completa substantia dicitur, ait Suarez, qua est aut intelligitur per modum totius seu integrae substantiae, qua sola interdum quasi per antonomasiam substantias appellari solet: sic enim Aristoteles (cap. De Substantia. *Categor.*, c. 2.) negat differentias esse substantias; ut hoc modo assignari possit aliquod supremum genus substantiae, quod differentias habeat, in quibus formaliter non includatur. Incompleta vero substantia dicitur omnis illa, qua pars est substantiae, vel ad modum partis concipiatur, quo modo materia et forma substantiae sunt ex Aristotele 8. *Metaph.*, c. 2., et 2. *De Anima*, c. 1. (*Metaph.*, D. 33. sect. 1. n. 5.) Unde habes substantiam dupliciter dici posse incompletam, *physice* scilicet et *metaphysice*, prout ratio partis convenit substantiae antecedenter ad mentis praecisionem, ut sit in materia et forma respectu substantiae corporeae; vel consequenter ad mentis praecisionem, quo modo rationes genericae et differentiales concipiuntur ad instar partium respectu essentialiae specificae. Diligenter vero p[ro]ae oculis haberi debet, quod loco citato Suarez observat de substantia *physice incompleta*. * Substantiam,

ait, *physice incompletam* vocamus, quae ex sua entitate in reipsa non habet quidquid ad substantiae complementum *intra ipsum substantiae genus* necessarium est. Contraria ergo ratione substantia *physice completa* vocabitur illa, quae omnem perfectionem includit ad integratatem seu complementum substantiae necessarium: quod per negationes a nobis commodius explicatur, scilicet illam esse substantiam completam physice, quae per se ad alterius substantiae realem compositionem seu constitutionem non ordinatur; nam hoc ipso necesse est, ut talis substantia in se habeat, quidquid ad completam substantiam constitutionem necessarium est. Haec modo sufficiente de hac divisione: plura enim hue spectantia commodius expendendum in sequentibus.

520. **Substantiae proprietates.** — Hoc nomine vocantur attributa quaedam vel affectiones a substantia non distinctae realiter, quae attribui solent substantiae, qua substantia est, ut eius propria ratio clarius elucescat. Haec sunt praeципuae ex doctrina Philosophi (*Categor.* cap. 2.), et ex dictis facile intelliguntur.

1^a. **Substantia est non in subiecto.** — Secus evaderet accidens. Consulto autem Philosophus id considerat, tamquam substantiae passionem, seu proprietatem consequentem propriam substantiae rationem. Ut enim alibi notavimus [517] propria ratio substantiae positiva est: inde vero consequitur negatio essendi in subiecto quae haec prima proprietate explicatur. Praeterea, ut ante diximus [516], substantiae debetur quidem esse non in subiecto, hoc tamen non est eius essentia.

2^a. **Prædictatur univoco de inferibus.** — Competit haec proprietas soli substantiae praedicamentali sive genericae sive specificae, ac etiam differentiis substantiarum. Nam etsi differentiae huiusmodi significantur per modum qualitatis [65, 70], quoad rem ipsam tamen sunt ipsa rei substantia.

3^a. **Est hoc aliiquid.** — Primo ac per se convenient haec proprietas soli substantiae primae, ut paulo ante declaravimus [518].

4^a Non habet contrarium ratione sui. — Nam contraria ea sunt quae se expellunt mutuo a subiecto; quoniam igitur substantia non est in subiecto, nequit expellere a subiecto aliam formam. Dixi: *ratione sui*; nihil enim prohibet unam substantiam esse alteri contrariam ratione *qualitatum* contrariarum.

5^a Non suscepit magis et minus. — Quo sensu haec proprietas sit intelligenda, perspicue sic declaratur a S. Thoma. Cum dicimus quod substantia non recipit magis et minus, non intelligitur, quod una species substantiae non sit perfectior, quam alia: sed quod unum et idem individuum non participat suam speciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam a diversis individuis participatur species substantiae secundum magis et minus. (*Summa th. 1. p. q. 93. a. 3. ad 3.*) Ratio autem cur haec proprietas asserratur, haec est. Nam secundum suam substantiam unumquodque sortitur speciem, in qua primo constituitur. Omnis porro varatio in eo, quod est huiusmodi, facit aliam rem. [“]Et propter hoc, ait S. Thomas, Philosophus (8. *Metaph. tex. 10.*) assimilat definitiones numeris. Et inde est etiam, quod nihil quod de altero substantia differat, etiam si sit in genere accidentis, praedicatur secundum magis et minus; non enim dicimus albedo magis et minus color. Et propter hoc etiam qualitates in abstracto signatae, quia signantur per modum substantiae, nec intenduntur, nec remittuntur; non enim dicimus albedo magis et minus, sed album. (Qq. Disp. *De virtutibus in communi*, art. 11.)

6^a Est subiectum contrariorum. — Nimirum una eademque numero substantia potest in se recipere contraria, non quidem simul, sed modo unum, modo alterum. Haec proprietas est maxime substantiae propria: non enim ulla accidenti competit, sed soli substantiae. Eius enim accidens, unum genere, contraria habet, ut qualitas in communi bonum continet et malum; non tamen una eademque numero qualitas modo ex. gr. virtus, modo vitium esse potest.

SECTIO II.

Utram notioi substantiae valor insit obiectivus.

521. Duplex error refellendus. — Quae in praecedenti sectione continentur, propriam substantiae et accidentis rationem, prout ipsa nature due ac humana mente concepit, satis superque declarant. Videndum modo est, utrum sic etiam in natura rerum se habeant nec ne: ac primo quidem id exquirimus quoad substantiae rationem. Duplex porro hac in re habetur error. Primum docuit Lockius, medicus Anglus, ex cuius mente substantia, prout in natura rerum continetur, nihil tandem est aliud, nisi *complexus qualitatibus quas sensu percipimus, ipsa ratione coëxistentium*. Quod vero istiusmodi qualitates in alio tamquam in subiecto inexistere concipiamus, mentis persuasio est, cum vel nulla, vel dubitamus responderet realitas (*De Humano Intellectu*, lib. 2. c. 23). Huic porro erroris causa est confusio intellectus cum sensu [258] putabat enim hic auctor nihil a nobis concepi, nisi prout experientia sensili continetur; substantiae autem notio certe intellectualis est. Secundus error subtilius est, multum tamen et ipse derogat de substantiae conceptus obiectivo valore. In eo consistit, quod nulla agnoscatur substantia proprii nominis nisi *completa*; ex quo denum id necessario foret consequens, ut nulla detur substantia composita, sed eae, quas sic nominamus, nihil aliud sint, nisi mera aggregatio substantiarum simplicium. In hunc errorem tandem aliquando decidunt quotquot substantiale naturae corporeae compositionem de medio auferunt.

THESES X.

Substantiae notio realis est atque obiectiva, eique respondet ipsa essentia seu quidditas, secundum quam res habet esse primo et simpliciter.

522. *Demonstratio.* — Nulla profecto notio realis atque obiectiva esse potest, nisi eiusmodi sit ipsamet notio *rei seu entis*; quippe quae in ceteris omnibus includitur. Atqui ipsamet notio *rei seu entis* tamquam figuramentum mentis habenda esset, si ex mente Lockii substantiae notio talis existere. Ergo vel nihil plana daretur in natura rerum, vel certe fateri oportet, substantiae notionem realem esse atque obiectivam. Primam porro opinionem nec Lockius revera admittit, nec sine manifesta contradictione ea potest admitti: qui enim id iudicaret, aliquid profecto eo ipso admitteret, negationem saltem, qua nihil esse ediceret.

Minor huius argumenti constat ex ipsa substantiae notionis declaratione, quam ante tradidimus. In quacumque enim re seu ente reali duplex esse concipi potest, primum videlicet, in quo subsistit, et secundarium, quod priori adiacet. Utrique huic esse duplex etiam essentia seu quidditas respondet, ea videlicet, secundum quam primo subsistit; et ea, secundum quam res est talis vel tanta vel tali modo se habens. Essentia porro primo modo accepta est ipsa rei substantia, cuius actus est esse primum seu fundamentalia, in quo res subsistit: essentia contra, posteriori modo habita, est accidentis quodcumque substantiae superveniens, cuius esse est priori inesse. Hinc ex doctrina Philosophi egrégie ait S. Thomas. "Illiū proprie dicitur esse, quod habet ipsum esse, quasi in suo esse subsistens. Unde solae substantiae vere et proprie dicuntur entia. Accidentis vero non habet esse, sed eo aliquid est, et hac ratione

ens dicitur; siue albedo dicitur ens, quia ea aliiquid est album: et propter hoc dicitur 7. *Metaph.*, quod *accidens*, dicitur magis *entis quam ens*.¹ (*Summa th. 1. p. q. 90. a. 2.*) Ex hac porro declaracione manifestum est, substantiam et accidentem in ipsa ratione entis dici secundum prius et posterius, ac substantiam quidem dici simpliciter ens, accidentis vero secundum quid dumtaxat: qua de causa supra docimus [437], notionem entis respectu substantiae et accidentis esse analogam, non univocam. Iam age, quotiescumque aliquid sic dicitur, dempto priori, necesse est dematur etiam posterius, quemadmodum dempta radice cetera quae inde pullulant cessent etiam necesse est. Ergo si substantiae notio figuramentum est, talis est etiam notio accidentis, et consequenter ipsa notio entis, ut quae in substantiam et accidentem adaequate distributur. Propterea quotquot de realitate rerum loquuti fuerunt, teste Aristotele (7. al. 6. *Metaph. c. 1.*), de ente, quod est substantia, sermonem habuerunt, et Metaphysica, ut quae scientia maxime realis est, de substantia maxime, primo, et quasi unice disputata. Propterea etiam quod nos substantiam dicimus, græce vocatur οὐσία, h. e. *essentia*; et si enim accidentia etiam habent essentiam, haec tamen in sola substantia est μᾶλιστα, καὶ πρώτος, καὶ ἀπλότερος, ut loquitur Philosophus (*loc. cit. in fine, c. 5.*).

Neque obstat huic discursui, quod notio, quam de rerum substantia habemus, satis obscura sit. Id enim verum est si sermo sit de *specifica differentia* multarum substantiarum, (quod etiam dicendum venit de accidentibus), non vero de ipsa substantiae *generali notione*; haec enim satis clara est, tametsi non comprehensiva seu adaequata.

les huiusmodi sunt, ante ratiōē obiectio dicitur; iūnūtis
exclusis bonis, aliis, & aliis non subiectis, & aliis
sc. p. et. I. ad ratiōē, quae non solum ipsas ceteras
est, sed & omnes huiusmodi.

THESES XI.

Distinctio communiter recepta apud veteres doctores scholasticos inter substantiam completam et incompletam, legitima est, ac plane necessaria, quo naturalis rei compōsitiō secundum esse substantiale, non verbo tenus dūmatrat, sed reipsa probē intelligatur.

523. *Declaratio et probatio.* — Antequam haec thesis probetur, adverte minime hoc loco esse ostendendum, dari reipsa in natura rerum substantias, quae prout huiusmodi sunt, veram habeant compositionem, in ipso scilicet esse substantiali earamdum. Id enim supponit resolutam gravissimam questioinem alibi discutiendam de corporeae naturae compositione. Quare hoc tantum in praesenti demonstrandum assumimus, nimirum admittendamus plane esse distinctionem substantiarum in *completam* et *incompletam*, prout eam ante declaravimus [519], nisi velim nullam agnoscerre naturalem veri nominis compositionem in ipso esse substantiali rerum quarumcumque, ac propter ea omnem substantiarum dicamus esse simplicem, quae vero compositae appellantur, reipsa non esse aliud nisi aggregata substantiarum. Vides proinde assertionem esse hypotheticam: utrum vero reipsa dentur substantiae vere et proprie compositae, in tractatu *De Natura Corporum* discutiendum.

Age porro, huius assertio ratio simplicissima est. Dicitur nempe ex ipso conceptu *substantiae naturaliter compositae*. Substantia enim quae, prout huiusmodi, sit vere et proprie naturaliter composita, duo dicit, quae propter ea mutuo destrui non debent, ne res plane impossibilis seu contradictoria exhibeat. Dicit primo rationem *substantiae*, seu essentiae secundum quam res subsistit primo et simpliciter: dicit praeterea rationem *compositionis natura-*

lis, sive concursum plurim in unum ex ipsa naturali exigentia corundem. Tunc igitur habetur substantia naturaliter composita, cum plura suapte natura exigunt in unum confluere ad ipsam essentiam componendam, secundum quam res subsistit primo et simpliciter. Nam vero patet imprimis, ea quae sunt huiusmodi, non posse esse accidentia; haec enim subaudunt primum esse rei constitutum, eique supervenient; qua de causa Aristoteles (1. Phys. c. 8.) tamquam magnum inconveniens reputat, quod *substantia constet ex non substantiis*. Deinde manifestum est, ea non sic esse substantias, ut intra ipsum substantiae genus sint plane completa. Ratio est, quia quae sunt eiusmodi, unumquodque ipsorum est *hoc aliquid* simpliciter completum in suo primo esse. Atqui quod sic se habet, suapte natura minime exigunt cum alio uniri ad aliquid aliud in ipso primo esse constitutendum, ut manifeste patet ex terminis. Ergo quae suapte natura exigunt simul confluere ad ipsum primum esse rei constitutendum, nequeunt intra ipsum substantiae genus esse completa. Si datur prouide tale compositionis genus, praeter substantias completas, admittere etiam oportet substantias vere et proprie incompletas.

524. *Diluitur obiectio.* — Dicetur fortasse. Non videtur qua ratione id fieri possit. Ratio enim substantiae posita est in indivisibili, ac propterea non potest ex parte tantum in re quapiam inveniri. Ergo impossible est, detur aliquid quod sit pars seu incompletum in ipsa substantiae ratione.

Huius difficultatis solutio pendet ex sana intelligentia illius proprietatis substantiae, qua negatur de ipsa quod possit *suscipere maius et minus*; quod supra declaravimus [520]. Quamobrem propositum antecedens ita distingue oportet. Ratio substantiae posita est in indivisibili, si spectetur dumtaxat exclusio inherentiæ, quae est propria accidentium, *concedo*; si spectetur positiva perfectio substantiae, unde haec exclusio inherentiæ emergit, *subdit*; quatenus in una eademque specie substantiae, puta humanitatis, unum idemque individuum

hanc specificam rationem non participet quandoque magis, quandoque minus, nec etiam in diversis individuis eiusdem speciei ea participetur secundum magis vel minus, *concedo*; quatenus ipsa communis ratio substantiae non possit per modum conceptus analogi secundum prius et posteriori diversimode attribui, neyo.

Substantia, ut dictum est, est *essentia, cui competit esse non in alio*. Quare in ea spectari potest tum ipsa positiva perfectio essentialiae, ratione cuius habet, ut in se et per se consistat seu esse habeat, tum negatio ex hac perfectione consequens, quod videlicet in *alio minime inhaeret*. Haec porro negatio, qua talis, profecto non habet gradus, sicut etiam nec gradus concipi queunt in ipsis accidentibus, pro eo quod excludunt a se proprium modum essendi substantiae. Quare haec indivisibilitas minime propria est substantiae, sed communis est omnibus rebus, prout simpliciter negant suum oppositum. Indivisibilitas, quae ut passio propria substantiae assignatur, posita est in ipsa positiva perfectione substantiae, ut ante declaravimus cum Aquinato [520]. Quare ea spectatur in substantia *secundum suam rationem specificam respectu suorum individuorum*, secus ad contingit in multis accidentibus. Minime vero ea sic intelligenda est, quasi *communis substantiae conceptus sit univox*, quaecumque sint membra, in qua distributur. Sicut igitur communis substantiae ratio analoga est respectu Dei et creaturarum [517, I.], sic etiam analoga est in ea divisione, qua dividitur in compositum, et partes componentes, puta materiam et formam. Compositum enim proprie est id, quod habet esse non in alio sicut in subiecto; materia autem et forma sunt ea, quibus compositum huiusmodi esse habet, illa quidem ut potentia, haec vero ut actus. Hinc Aristoteles (6. al. 7. Met.) cum divisirer substantiam primam in *materiam, formam, et compositum*, expresse et data opera probat tum compositum, tum etiam formam esse *magis substantiam*, quam materiam. Apposite S. Thomas. "Subiectum, quod est prima substantia, in tria dividitur; scilicet in materiam, et formam, et compositum

ex eis. Quae quidem divisio non est generis in species, sed aliquius analogice praedictati, quod de eis, quae sub eo continentur, per prius et posterius praedicatur. Tam enim compositum, quam materia et forma, particularis substantia dicitur, sed non eodem ordine: et ideo posterius inquiret (Philosophus), quid horum per prius sit substantia, (7. Metaph. lect. 2.) Id vero plenius intelligetur ex iis, quae dicenda reservamus ad sequentem disputationem *De potentia et actu*. Tale quippe genus compositionis, minimum ex potentia et actu, bene consistere potest cum unitate rei per se et simpliciter dicta. Quare ad has et similes dubitationes tollendas, egregie ait Aristoteles loquens de unione *immediata* materiam inter et formam (7. al. 8. Metaph. c. 6.): *Si quemadmodum nos dicimus, hoc quidem materia, hoc vero forma est, et hoc quidem potentia, hoc vero actu, profecto non videatur amplius dubitatio esse quod queritur.*

Instabis. Nihil vetat, plures substantiae completae in ratione substantiae diversimode iungantur, quo novum constituant operationis principium. Atqui natura nihil aliud est nisi intrinsecum operationis principium. Ergo bene possunt haberi diversae naturae compositae, tamen nulli detur substantia, quae ut huiusmodi sit incompleta. Brevi: nihil prohibet dicere aliquid completum quidem in ratione substantiae, incompletum tamen in ratione *naturae*, atque ita habemus quidquid postulatur ad compositionem omnem rei naturalis explicandam.

Respondeo. *Dist. maiorem*. Quod sit vere et proprie eiusmodi ac propterea principium primum et per se unum, *neg.*; quod sic nominetur ob quamdam accidentalē aggregationem aut ordinem, *conc.* *Contradist. minorem*. Naturā est operationis principium primum et per se unum, *conc.*; natura est operationis principium utcumque, *subdist.*; natura simpliciter talis, prout scilicet dicitur in genere substantiae, *neg.*; prout dicitur extenso nomine etiam in genere accidentis, vel accidentalis aggregati, *conc.* *Dist. pariter conseq.* Ergo possunt dari diversae naturae compositae accidentalē quacumque compositione, tamen nulli

datur substantia incompleta, *conc.*; quae sint compositae, et sint eiusmodi in genere substantiae, *neg.*

Ad intelligentiam huius responsionis, et ad plenorem totius rei declarationem, duo hic veniunt apprime notanda.

I. Naturae nomen, severe et simpliciter loquendo, non usurpat nisi in genere substantiae; unde sic eam definitio Aristoteles [431, III.]. Huius rei duplex est ratio. Primo quidem propterea quod natura ideo sic nominatur, ut designet internum principium operationis propriae in unoquoque. Principium autem, propriæ et simpliciter acceptum, dicitur *id unde primo* aliquid procedit. Quare non quocumque operationis, tametsi internum, nature vocatur, sed primum dumtaxat. Cum vero unumquodque operetur secundum quod est actu, hinc primum cuiusque operationis principium in re qualibet oportet esse illud secundum quod ipsam est primo et simpliciter, quod profecto est quiditas ipsa *substantialis* ipsiusmet. Praeterea, ut paulo ante notavimus [522], *essentia simpliciter talis* non est nisi essentia substantialis, quippe substantia dumtaxat ea est cui ratione sui convenient esse. Accidens contra est potius *ens entis* quam *ens*: aggregatum vero quocumque accidentiale substantiarum, cumusmodi sunt artificialia omnia, non tam *ens* dici meretur quam *entia*, ob defectum videlicet unitatis vere et simpliciter talis [453]. Atqui natura nihil aliud est nisi ipsam rei essentia prout dicit ordinem ad propriam ipsiusmet operationem. Ex quo manifeste patet, minime sustineri posse distinctionem, quae in objecta instantia obtruditur, qua nimurum aliquid dicatur incompletum in ratione *naturae*, tametsi sit completum in genere *substantiae*, si nempe haec nomina severe et simpliciter usurpentur. Ceterum, quemadmodum ratio *entis*, licet secundario, tribuitur etiam accidentibus et aggregatis accidentibus, sic etiam *essentiae* et *naturae* appellations extenso nomine etiam in rebus huiusmodi usurpari solent.

II. Nihil prohibet, quoniam plura, tametsi secundum esse divisa, iungantur in aliquo *uno operato* efficiendo; non propterea tamen inde habetur aliqua *vere nova opera-*

tio. Apposite S. Thomas. ⁴ Impossibile est quod eorum quae sunt diversa secundum esse sit operatio una: dico autem operationem unam, *non ex parte eius in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente*. Multi enim trahentes navim unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multae actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum. Cum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet, quorun sunt diversae formae et virtutes, et actiones esse diversas. (2. *Cont. Gent.* 57.) Porro id praecise accidit in hypothesi obiunctis. Ponuntur enim plures substantiae complectae secundum esse. Totidem prouide existunt virtutes operativaæ quot substantiae. Quo demum cumque modo uniantur, novum utique habebitur operatum, sed minime operatio aliqua vera nova. Operatio enim, quae non est una, hoc nomen non meretur, quippe unumquodque sicut custodit suum esse ita custodit suam unitatem [451]. Ex quo manifeste infertur primo, posse quidem ex huiuscemodi unitione resultare aliquam novam *aggregationem principiorum* agentium uno vel alio modo invicem ordinatorum vel subordinatorum, sed non propterea existet aliquod *novum principium*, vere et proprie eiusmodi, nimirum vere et simpliciter unum. Patet secundo, istiusmodi principiorum aggregationem minime posse dici naturam, nisi ex ratione qua hoc nomen tributur etiam artefactis. Quemadmodum enim, quae non natura sed arte constant, puta horologium, habent utique principium operationis, non tamen *secundum quod ipsa*, h. e. qua artefacta, sed unice ratione substantiarum naturalium unde coalesceunt, puta auri vel argenti; ita aggregatum substantiarum, quae sint completeæ, poterit utique in se contineare principium operationis, non tamen *secundum quod ipsum*, sed unice ratione substantiarum componentium (1). Ex quo ulterius effici-

(1) Ad rem S. Thomas. ⁵ Omnia huiusmodi, (quae sunt a natura), videntur in se habere principium aliquius motus et status: quedam

tur, ut nec unum principium, nec unam operationem, sed tot principia et tot operationes habeat, quod sunt substantiae quae ita coniungerentur. Huius rei gratia, ut supra notavimus [431. III.], Aristoteles naturam simpli-
citer dictam, ita egregie definit: *Natura est substantia eorum, quae habent principium motus in seipsis secundum quod ipsa* (1).

Instabis denuo. Ut paulo ante concessum est, compo-
sitio substantiae naturalis sufficienter explicatur, si componentia ponantur mutuo iungi per modum materiae et formae, seu potentiae et actus. Atqui, etsi res ita concipiatur, videtur subsistere adhuc inconveniens supra

quidem secundum locum, sicut gravia et levia, et etiam corpora caelestia; quadam vero secundum augmentum et decrementum, ut animalia et plantae; quadam vero secundum alterationem, ut corpora simplicia et omnia quae componuntur ex eis. Sed ea quae non sunt a natura, sicut lectus et indumentum et similia, quae accipiunt huiusmodi praedicationem secundum quod sunt ab arte, nullius mutationis principium habent in seipsis nisi per accidens, in quantum scilicet substantia corporum artificialium sunt res naturales. Sic igitur in quantum artificialibus accidit esse ferrea vel lapidea, habent aliquod principium motus in seipsis, sed non in quantum sunt artificialia: cultellus enim habet in se principium motus deorsum, non in quantum est cultellus, sed in quantum est ferrus. (2. *Physic.* lect. 1.)

(1) Ἡ πρώτη φύσις καὶ κύριος λεγομένη ἔστιν η σύστα τῆς ἔχοντων ἀρχήν κυρίσσεον εν τοῖς οὐ κατά. (4. al. 3. *Metaph.* c. 4.) Quod vero special originem huius vocis, eiusque diversas acceptio-
nes, perspicue, ut solet, S. Thomas hanc rem ita declarat, unde etiam ulterus patebit rectitudin definitionis Aristotelicae modo re-
citatae. Sic itaque S. Doct. ^a Scindunt est dictum vel sumptum. Unde primo est im-
positione hoc nomen ad significandum generationem viventium, quae nativitas vel pullulatio dicitur, ut dicatur natura, quasi nascitura. Deinde translatione est nomen naturae ad significandum principium huius generationis. Et quia principium generationis in rebus viventibus est intrinsecum, ulterus derivatum est nomen naturae ad si-
gnificantum quoddlibet principium intrinsecum motus; secundum quod Philosophus dicit (2. *Physic.* tex. 3.) quod *natura est principium motus in eo in quo est per se et non secundum accidens*. Hoc autem principium vel forma est, vel materia: unde quandoque na-

notatum. Etenim etiam huiuscmodi materia et forma sunt principia operationis realiter invicem distincta, quamvis dicantur efformare naturam eo quod mutuo uniantur seu modificantur.

Respondeo. Disparitas est eaque satis aperta. Si enim ponatur huiuscmodi composito, ex materia nimirum et forma, operatio quae inde effloret, non est neque solius materiae, neque solius formae, sed compositi, ut praesertim videat licet in actu sentiendi. Et ratio est, quam paulo ante indicavimus cum Aristotele. Materia enim et forma mutuo se compleant, ut potentia et actus. Atqui nulla difficultas est in eo quod una eademque operatio indivise procedat a duobus quae sic se compleant, quemadmodum ex potentia intellectiva et scientia habituali unum procedit intelligere. Nam virtus operativa ex tali unione non dividitur, sed manet indivisa: indivisa proinde remanent operatio, non solum ex parte operati, sed etiam ut egreditur ab operante. Ceterum haec melius intelligentur ex iis, quae dicturi sumus in disputatione sequenti. Hoc tantum in praesenti monemus, hanc unionem, quae a nobis conceditur ut sufficiens ad substantiae et naturae unitatem tundam, minime esse concepiendam quasi esset mutua quedam actio unius comprehendendi in aliud: actio quippe est propria causalitas causae efficientis, non vero materialis et formalis, ut ex tractatu de causis suppono.

tura dicitur forma, quandoque vero materia. Et quia finis generationis naturalis est in eo quod generatur, scilicet essentia speciei quam significat definitio, inde est quod huiusmodi essentia speciei vocatur etiam natura. Et hoc modo Boethius naturam definit (lib. *De Diversis Naturis*), dicens: *Natura est unquamque rem informans speciem differentiam, quae scilicet complet definitionem speciei.* (Summa th. 3. p. q. 2. a. 1.) Ideo vero essentia speciei, *prima et principialis* appellatur, ut loquitur Aristoteles, natura vocatur, quia ad eam gignendam tum nativitas, tum huius nativitas, sicut et cunctis generationis principiis, per se ordinantur, ac inde huius nominis communione recipiunt.

modis de existentiis accidentibus, quae sunt substantia et proprietas, et non de existentiis accidentibus, quae sunt extrinsecus denominatio[n]ibus.

SECTIO III.

*Num existant accidentia veri
et proprii nominis.*

525. **Argumentum.** — Mirabitur fortasse quispiam ipsum propositum questionis titulum, quo in controversiam adducimus ipsam existentiam accidentium. Res est enim adeo manifesta, ut merito forte videri possit, tantum esse haec de re dubitare, quantum in meridiana luce caecutire. Non defuerunt tamen philosophi, qui id etiam iniciati fuerint, ac propterea nullam proprium nominis realitatem admiserint, praeter substantialem. Difficile enim ipsis visum est, quo pacto detur aliquid vere et proprio, quin continuo sit in se subsistens; multoque difficultius paruntur, quo pacto tale genus entium de novo produci possit quin ex nihilo fierent ac proinde crearentur. Quocirca, quemadmodum in sectione praecedenti obiectivum valorem conceptus substantiae vindicavimus, sic modo id ipsum praestare debemus quoad notionem accidentis. Quoniam haec consideratio metaphysica est, nomine hic sermo est de accidenti logice considerato, prout videlicet quinto loco recensetur inter praedicabilias [72]. Nihil enim prohibet, quomodo id, quod est substantia, puta vestis, accidens hoc modo dicatur, nempe accidentaliter de aliquo praedicetur, et e converso id, quod non est substantia, per se de aliquo praedicetur, scilicet tamquam *proprium*. Praeterea sermonem hic habemus de iis accidentibus, quae vere et proprio sint eiusmodi, quae nimis proprie et intrinsecè insunt rei, cui accidere dicuntur; non vero de *extrinsecis denominationibus*, quae sine illa rei immutacione eidem adveniunt, ut est ex gratia, denominatio creatoris, vel domini, quae Deo in tempore attribuuntur. Tales quippe *extrinsecæ denominationes*,

prout concipiuntur per modum formae inhaerentis rei, quam extrinsecus denominant, non sunt entia realia, sed rationis tantum [447]. Hinc accidentia, de quibus modo sermonem habemus, vocantur etiam *physica seu realia per oppositionem* scilicet ad ens rationis.

THESES XII.

In rebus creatis, praeter substantias, dantur accidentia realia, vere et proprie eiusmodi, quae propterea sunt vera res positiva a substantiis reipsa distincta.

526. **Demonstratio.** — Antequam ad rei demonstrationem accedamus, utile erit animadvertere, doctrinam quam tuemur multum admodum favere communem naturae sensum. Apposite Salvator Tongiorgi. "Statim, ait, ac in experientiam sive internam sive externam reflexionem adhibere incipimus, substantiae et accidentis notionem adipiscimur, et unam rem ab altera distinguimus, quamquam haec nomina, quibus philosophi utuntur, ignoramus. Revera vel ipsae rerum tam multae, ac sibi perpetuo succidentes mutationes statim ostendunt, esse aliquid quod mutationes recipit, et esse aliquid quod in his mutationibus accedit ad illud vel ab ipso amittitur... Est ergo in rebus subiectum affectionum, et sunt affectiones sibi succidentes in illo: illud unum est, hae plures: illud identicum, hae diversae inter se: illud permanens, hae successivae: illud potest esse sine his, secus nulla fieret mutatio; haec sine illo esse non possunt, sunt enim illius affectiones. (Instit. Philos., Ontologia, n. 145.) Negari profecto minime potest, conceptum accidentis sic descriptum esse profecto, qualis in enuntiatione thesis proposita continetur. Ceterum, ut veritas magis pateat, et ab exceptionibus adversariorum vindicetur, sic argumentamur.

1. *Ex conceptu mutationis.* Certum quippe est ex

experiencia tum nos tum ea, quae extra experimur, continuis ac variis mutationibus subiici. Mutatio autem vera in aliquo non est, nisi ex eo, quod actum seu formam aliquam ipsum intrinsecus sufficientem vel de novo acquirat vel amittat. Iam vero imprimis minime negari potest, talem actum seu formam esse rem vere positivam; nihil quippe intrinsecus immutatur per nihil vel per ens rationis. Nequit secundo universe et generaliter affirmari huiuscmodi actum seu formam pertinere ad ipsa constitutiva rei substantia; sic enim omnis mutatio esset substantialis quedam generatio vel corruptio, quod nemo dicit. Quod si tertio concedatur quidem formam, qua adveniente vel recente mutatio fit, non pertinere ad constitutiva res substantia, negetur tamen eamdem esse reipsa distinctam a substantia, cui accedit vel a qua reedit; sic enim nonnulli discurrent: facili negotio huius positionis falsitas ostendi poterit. Nam vera et interna mutatio rei cuiusque ne concipi quidem potest sine vera et physica compositione, quae intercedat inter subiectum mutationis, et formam cuius amissionem vel accessum contingit mutatio, quorum alterum sit per modum potentiae verae et physicae, alterum vero per modum actus quo ea potentia compleatur. Atqui omnis vera et realis compositio subiicit realem distinctionem inter ea quae sic componuntur, ut videtur manifestum ex terminis. Ergo vel negari debet contingere in re praesenti veram et internam mutationem, vel concedere oportet actum seu formam, qua adveniente vel recente mutatio contingit in subiecto, esse rem ab eo reipsa distinctam. Postremo denique minime affirmare licet, huiusmodi formam esse rem distinctam a subiecto mutationis, quin tamen sit accidens physicum proprii nominis, quasi esset res quaedam subsistens. Ut enim cetera omittam, mutatio, de qua loquimur, optime locum habere potest in substantia creata, tametsi unica existet ac plane simplex, puta anima mea, si fingeretur ipsa sola praeter Deum in natura rerum. Nam, etiam in tali hypothesi, ipsa multis internisque mutationibus subiici posset, nec tamen haberetur haec

alia res subsistens per cuius accessum vel recessum mutationem fieri adversarii imaginantur. Ex his omnibus manifeste relinquitur probatum contra omnia adversariorum effugia, mutationes reales, quas intra et extra nos experimur, sufficiente plane ratione destituti, nisi veri nominis accidentia eaque physica, et a substantiis reipsa distincta, concedantur.

II. Alterum argumentum ducitur ex *vera efficientia causarum secundarum*, quam suo loco demonstrabimus, ac modo ex communi naturae sensu supponimus. Etenim conficta plane est efficientia, qua nihil positivum et reale produci dicatur. Quod autem per productionem efficitur, acta minime erat ante productionem. Ergo ut causae secundae vera efficientia non destituantur, necesse est fateri per earumdem efficientiam produci aliquid positivum et reale, quod actu minime erat antequam ab ipsis produceretur. Atqui rursus ante productionem huiusmodi saepissime existunt actu res secundum totum esse substantiale eundem, ut fit in omni efficientia causarum secundarum, quae non est substantialis generatio. Ergo, praeter hoc esse substantiale, admittere oportet aliud esse reale et physicum, quod proinde accidentale sit oportet.

Nec dici potest ad huius argumenti vim enervandam, tale accidens esse quidem rem positivam et realem, sed reipsa indistinctam a substantia praecedente. Hoc enim manifeste excluditur ipsa ratiockeatione modo adducta. Si enim tale accidens est reipsa indistinctum a substantia, quenam tandem esset haec res positiva, quae dicitur de *novo effici* per causas secundas? Substantia quippe actu praecexistere dicitur: quod vero fit, antequam fiat, minime est actu.

III. Ultimo denique confirmatur haec veritas *ex duplice inconvenienti*, quod necessario concedi debet in opposita sententia.

Imprimis enim necesse est, adversarii fateantur, ipsos actus vitales, quos experimur in nobis continuo variari, reipsa non distinguiri a substantia animae. Atqui hoc profecto esset sane nimium. Quare ipse Angelicus

Doctor non dubitavit asserere. ** Quidquid dicatur de potentia animae, tamen nullus unquam opinatur, nisi insanus, quod habitus et actus animae sint ipsa eius essentia.* (Qq. Disp. *De spirit. creat.* a. 11. ad 1.) Omnia enim signa realis distinctionis, quae ante enumeravimus [466], locum habent in re praesenti, ut quisque per se ipse facile considerare poterit.

Deinde fateri etiam oportet in hac sententia, ipsas virtutes infusas, puta fidei, spei, et caritatis, itemque cetera accidentia supernatura, esse rem indistinctam a substantia animae. Si enim argumenta adversariorum quid valent, omnia profecto accidentia recta impetrant. Nam vero hoc alienum est ab omni sua theologia. Per huiusmodi enim virtutes vere *augetur*, immo ad superiorem ordinem *transcetur* ipsa virtus animae nostrae operativa. Id autem est plane inintelligibile, si ponatur tota entitatis perfectio animae nostrae ingredi manere eadem. Praeterea quomodo intelligi potest *intensivum augmentum* harum virtutum, quomodo earundem *mutua separatio*, quomodo ipsa ratio *infusae virtutis*? Sed de hac re theologi: hic tamen indicare volui ex consilio, ut nemo imaginetur quaestionem praesentem esse pure philosophicam; est enim cum pluribus veritatibus fidei valde connexa.

SECTIO IV.

Enodantur obiecta quaedam contra doctrinam praecedentem.

527. *Obiectio I.* — Ad explicandam rerum creatarum mutationem activitatemque, satis est si substantia alter modificari dicatur. Atqui propterea minime opus est accidentibus a substantia reipsa distinctis.

Respondeo. *Transmissa maiori, nego minorem.* Acti-

vitas ac mutatio rerum creaturarum non habetur dumtaxat secundum accidentalem substantiae modificationem seu affectionem. Id tamen hoc loco transmittimus, quia non pertinet ad praesentem controversiam. Negamus vero absolute minorem, quia, etsi solae dantur accidentales affectiones in rebus creatis, id satis superque est ad objectivam realitatem accidentium, quae vere et proprie sint eiusmodi, vindicandam. Apposite Matthaeus Liberatore sic reprehendit modo factam obiectiōnē. ** Qui ita obiecit, vel plane locutus, vel verba, quae profert, non intelligit. Nam substantiam alter modificari, quid est aliud, quam novam modificationem suscipere? Haec autem nova modificación vel aliquid est, vel nihil. Si nihil est, falso dicitur substantia realiter mutari: non enim realiter mutatur quod nihil amittit et nihil recipit. Sin vero modificación illa est aliquid, erit ens; ens enim et aliquid convertuntur. Hoe tamen ens eiusmodi est, ut in se non sit, sed subiecto inhaeret, quod immutat. Erit igitur ens alteri inhaerens, nimurum accidens. Ergo hoc ipso, quod substantia alter modificari dicitur, admittantur oportet accidentia a substantiis realiter distincta.* (Instit. Philos. Ontologia, n. 115.)

Instabis. Quo substantiae alter modificeantur, satis est, ut quoad realitatem maneant eadem, incipiāt tamen vel desinat esse earundem mutua relatio vel ordo.

Respondeo. *Nego assumptum.* Patet imprimis eius falsitas, si, ut ante argumentabamur, non existet nisi unica substantia praeter Deum. Deinde, ut cetera omitantur, quae inferius de relatione dicentur, semper querendum manet, quo tandem redeat obiectiva realitas istiusmodi respectuum, quos tantoper magnificunt adversarii, et in quibus varianda unice consistit activitas, quam causis secundis ipsi largiuntur. Id enim, quod obiective respondet conceptui, quo tales respectus concepimus, et in quo verum et reale fundamentum habent, vel est nihil vel nonnullum, seu aliquid. Si primum, ore tenuis affirmatur creaturarum mutatio et activitas; neutra enim proprium terminum reipsa habent. Sin vero alterum dicatur, ma-

nent in toto suo robore argumenta, quae attulimus, praesertim cum relatio per se non fiat, sed resultet tantum ex iis, quae fiunt vel mutantur.

Obiectio II. — Aristotelia definitio accidentis videtur supponere, minime esse rem positivam a substantia reipsa distinctam. Accidens enim est *ens in alio, ut in subiecto*. Ergo neque existentiam habet vere propriam, neque physicam existentiam simpliciter, sed quodammodo, nempe in substantia, ut Aristoteles notavit (*7. Metaph. 4*); unde per substantiam definiri eget. Dicitur quoque accidentis esse *ens alterius, ens entis*, ut idem dixit Aristoteles (*Ibid. c. 2*). Ergo eius entitas ad substantiam perficit et est aliquid substantiae.

Respondeo. *Neg. assumpt.* quod certe minime evinatur ex notione accidentis tradita a Philosopho. Nempe procedit haec obiectio ex eo, quod dui permisceantur, quae permiscri non debent. Primo enim perinde accipitur notio entis, qua ens est, quasi univoce, non vero analogice dividatur in substantiam et accidentem, secus ac ante declaravimus [*437, II.*]. Deinde modus essendi *in alio*, qui est proprius accidentium, confunditur cum modo *essendi in toto*, qui convenit partibus, prout partes sunt rei integrales, contra discretam declarationem traditam a Philosopho (*Categor. c. 2*). Quare contra singula, quae in allata obiectione acervatum opponuntur, singillatim haec nota.

I. Cum dicatur accidentis non habere existentiam *propriam*, id veritatem habet, quatenus esse accidentis est quidem distinctum ab esse substantiae, sed tamen est *esse inhaerens*, ac propterea primo et per se actuat non ipsum accidentem secundum se, sed compositum ex substantia et accidente. Non enim proprie est *albedo* sed *album*. Lege testimonium quod ex S. Thoma exscripsimus [49].

II. Cum dicatur essentia accidentis non esse *simplificiter* sed *quodammodo*, h. e. in substantia, sensus minime est, existentiam accidentis esse partem *integram* existentiae substantiae, quod profecto multis modis repugnat dictis Aristotelis, qui tamquam magnum inconveniens reputat

substantiam componi et non substantiis (*1. Phys. c. 8.*), et praeterea cit. cap. 2. *Categor.* sic definit *in esse in subiecto*, quod est proprium accidentium: *In subiecto esse dico, quod in alio non est pars illius existens, numquam tamen esse potest separatum ab illo, in quo est.* Sensus proinde non est aliud ab eo quem paulo ante notavimus. Hinc S. Thomas definiens existentiam accidentis [516] ait, esse *quidditatem cui convenit habere esse in alio, tamquam in subiecto.*

III. Accidens eget definiri per substantiam, non quasi substantia sit pars constitutiva eiusdem, sed propter ordinem essentialium, quem habet ad substantiam. Quare talis definitio dictrina esse *per additamentum*, ut in Logica ex mente Philosophi et Angelici declaravimus [100].

IV. Dictrina accidentis *ens entis*, quia ei convenit esse, sed in concretione ad substantiam, quae ei subiectum, et cuius esse naturaliter praecedit esse accidentis. Lege testimoniun ex S. Thoma exscriptum [517, III.]. Id porro distinctionem accidentis a substantia necessario subaudit.

V. Quocirca accidentis est res quidem ad substantiam pertinens, sed ut ei *superaddita*, ac propterea minime cum eiusdem realitate identificata. Nihil enim superadiditur sibi.

Obiectio III. — Eductio formarum accidentalium e substantia fero iisdem difficultatibus obnoxia est, quibus impugnari solet formarum substantialium eductio ex materia prima. Nec magis intelligimus, cur eductio illa non sit ex nihilo, ex eo tantummodo quod accidentia ex potentia educantur substantiae et in substantia recipiantur. Merito igitur has entitates accidentiales philosophi recentiores reiciunt (1).

(1) Haec difficultas non est nova, sed parvatura. S. Thomas his verbis ad vivum eam describit. Dixerunt antiqui philosophi, quod nihil neque generatur, neque corruptitur: quod est et contra veritatem et contra naturam. Et ad hoc ponendum eos infirmatis intellectus cogit: quia nescierunt hanc rationem solvere, per quam

Haec difficultas non est nova, sed parvatura. S. Thomas his verbis ad vivum eam describit. Dixerunt antiqui philosophi, quod nihil neque generatur, neque corruptitur: quod est et contra veritatem et contra naturam. Et ad hoc ponendum eos infirmatis intellectus cogit: quia nescierunt hanc rationem solvere, per quam

Respondeo, iisdem profecto difficultatibus obnoxiam esse productionem formarum accidentialium, quibus ab adversariis impeti solet formarum substantialium productio. Sed hoc ipsum manifeste ostendit, argumenta eiusmodi vana esse, ut quae nimium evincent contra certissima iudicia communis naturae sensus. Radix porro difficultatis inde enascitur, quod minime distinguatur inter *potentiam et actum*, ac praeterea non recte concipiatur *terminus proprius qui transmutatione efficitur*. Id enim, quod directe et per se terminal efficaciam causae secundae, est id ipsum, quod transmutatione fit. Quod vero transmutatione fit, non est forma, sed compositum ex subiecto praexistente. Cum enim ex. gr. anima mea e nesciente fit actu sciens, ipsa profecto minime commutatur in *cogitationem*, sed in *cogitantem actu*. Forma autem, quae transmutatione inducitur, ut est cogitatio in exemplo nuper allato, non tam fieri dicendi est, sed potius educitur de potentia subiecti, quatenus hoc fit in actu secundum id, ad quod erat in potentia, non quidem mere objectiva, sed vera et physica, ut latius declarabitur in disputatione sequenti. In hoc autem nulla habetur creatio, seu productio ex nihilo, quippe quae non est mutatio, ut suo loco plenus declarabitur. Apposite S. Thomas. "Unumquodque factum hoc modo dicitur fieri, quo dicitur esse; nam esse est terminus factiosus. Unde illud, quod proprio fit per se, compositum est: forma autem non proprio fit, sed est id, quo fit, id est, per cuius ad-

videbatur probari, quod ens non generatur. Quia si ens fit, aut fit ex ente, aut fit ex non ente: et utrumque horum videbatur esse impossible, scilicet quod ens fiat ex ente, et quod fiat ex non ente. Quod autem ex ente aliquid fieri sit impossibile, ex hoc manifestum est. Quia id quod est, non fit; nihil enim est, antequam fiat: et ens iam est: ergo non fit. Quod etiam ex non ente aliquid fieri sit impossibile, ex hoc manifestum est, quia oportet aliquid subiecti ei, quod fit, ut supra ostensum est, et ex nihilo nihil fit. Et ex hoc concludetur, quod entis non erat neque generatio, neque corruptio, (1. *Physic. lect. 14.*)

quisitionem aliquid dicitur fieri. Nihil ergo obstat per hoc, quod dicimus, quod per naturam ex nihilo nihil fit, quin formas substantialies (1) ex operatione naturae esse dicamus. Nam id, quod fit, non est forma, sed compositum, quod ex materia fit, et non ex nihilo. Et fit quidem ex materia, in quantum materia est in potentia ad ipsum compositum per hoc, quod est in potentia ad formam. Et sic non proprie dicitur, quod forma fiat in materia, sed magis quod de materie potentia educatur. Ex hoc autem ipso, quod compositum fit et non forma, ostendit Philosophus in 7. *Metaph.*, quod formae sunt ex agentibus naturalibus. Nam quum factum oporteat esse simile facienti, ex quo id, quod factum est, est compositum, oportet id, quod est faciens, esse compositum, et non forma per se existens, ut Plato dicebat: ut sic, sicut factum est compositum, quo autem fit est forma in materia in actum reducta; ita generans sit compositum, non forma tantum, sed forma sit quo generat: forma, inquam, in hac materia existens, sicut in his carnis, et in his ossibus, et in aliis huiusmodi. (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 8.)

Obiectio IV. — Antiquus auctor Opusculi 48. al. 44. inter opuse. S. Thomae, cui titulus *De totius Logiae Aristotelis summa*, Tract. 2. c. 1., non videtur admittere distinctionem, quam propugnamus, inter substantialiam et accidentia. Ex mente enim huius auctoris dicitur rei modus res concepta uno modo respectu sui ipsius ut est concepta alio modo: qui quidem diversi modi considerandi non sumuntur ex diversis in re existentibus, sed ex habitudine ad diversa, sub qua habitudine res intelligitur.

Respondeo, perperam imponi praedicto auctori, quasi

(1) Etsi S. Doctor hoc loco expresse loquatur de productione rei secundum formam substantialiem, quae tamen hic dicit, *a fortiori* applicari debent productioni rei secundum formas accidentiales. Hinc l. c. paulo superius de accidentibus etiam meminit, eorumdemque educationem assimilat educationi formarum substantialium.

generalem definitionem tradere voluerit de modis, prout hoc nomine comprehenduntur etiam accidentia. Manifestum id fiet, si dumtaxat afferatur integrum testimonium.
* Ad sciendum, ait, praedicamenta oportet dividere ens reale. Ubi nota, quod licet ens non possit esse genus, quia non invenitur differentia contrahens illud, tamen contrahitur per modos essendi. Modus autem essendi aliquius rei potest accipi dupliciter. *Uno modo, ut est proprietatis realis aliquius realiter differens ab eo, sicut dicimus de aliquo; Iste habet bonum modum; quia est mansuetus vel concors.* Constat autem quod mansuetus vel concordia, quas diximus modos, res esse differentes ab eo, cuius sunt. Secundo modo dicitur modus res concepta uno modo respectu suipius ut est concepta alio modo, qui quidem diversi modi considerandi non sumuntur ex diversis in re existentibus, sed ex habitudine ad diversa, sub qua habitudine res intelligitur. Verbi gratia, substantia, secundum quod est subiectum accidentium, significatur per modum substantiae, quia substantia dicitur a substantio; secundum autem quod a nullo priori dependet, cui innittitur, significatur ut ens per se: et isti modi sunt id ipsum, quod substantia, differentes sola ratione animae concipientis ipsum secundum diversas habitudines. Quae ratio non est facta, sed accipitur a re: ita enim in re est; nam et substantia substans accidentibus et nulli innittitur. Tamen istae non sunt duae res distinctae, sed distinctio inter ista solum est ex ratione. * Huc usque auctor citatus. Quare non licet objectionem, quam modo solvimus, proponere, quin offendatur in fallaciam illam, quam Logici vocant *accidentis* [191].

Obiection V. — Non videtur, quo pacto in nostra sententia possit manere illaesa ipsa veritas propositionum, quibus de substantia affirmantur accidentia, puta cum dicimus: *Homo est albus*. Et sane, in quavis propositione affirmante oportet, ut res expressa per praedicatum sit re ipsa eadem ac res expressa per subiectum; hanc quippe identitatem significat *est*, prout est copula verbalis [111]. Atqui in sententia, quam defendimus, id minime

locum habet, ut patet in exemplo allato; siquidem res expressa per praedicatum *albus*, h. e. *albedo*, esset res distincta a substantia expressa per subiectum *homo*.

Respondeo. *Nego assumptum.* Ad probationem *dist. maiorem*. Si praedicatum et subiectum spectentur secundum id, quod significant in recto, *concedo*: si spectentur secundum id quod significant in obliquo, *nego. Contradist. pariter minorem*.

Solutio patet ex iis, quae ante diximus [463], et certe si serio quis urgere vellet praesentem difficultatem, debet etiam fateri, non posse sequentem etiam propositionem, h. e. *Verbum est homo*, esse veram, nisi daretur identitas inter *Verbum* et *Humanitatem*; quod est plane erroneum in fide, ut docent theologi (*Summa th. 3. p. q. 16.*). Praestat in huius rei confirmationem hic exercitare integrum testimonium Angelici, quod ex parte retulimus n. cit. * Dicendum, ait, quod similitudo rei recipitur in intellectu secundum modum intellectus, et non secundum modum rei. Unde compositioni et divisioni intellectus respondet quidem aliquid ex parte rei; tamen non eodem modo se habet in re, sicut in intellectu. Intellectus enim humani proprium obiectum est quidditas rei materialis, quae sub sensu et imaginatione cadit. Invenitur autem duplex compositio in re materiali. Primo quidem formae ad materiam: et huic respondet compositionis intellectus, qua totum universale de sua parte (h. e. subiectiva) praedicatur. Nam genus sumitur a materia communia, differentia vero compleativa speciei a forma, particulare vero a materia individuali. Secunda vero *compositionis est accidentis ad subiectum*: et huic reali compositioni respondet compositio intellectus, secundum quam praedicatur accidentia de subiecto, ut cum dicitur: *Homo est albus*. Tamen differt compositio intellectus a compositione rei. Nam ea, quae compoununtur in re, sunt diversa: compositio autem intellectus est signum identitatis eorum, quae compoununtur. *Non enim intellectus sic componiit, ut dicat, quod homo est albedo: sed dicit, quod homo est albus, id est, habens albedinem; idem autem est subiecto,*

quod est homo, et quod est habens albedinem. Et simile est de compositione formae et materiae. Nam animal significat id, *quod habet* naturam sensitivam; rationale, *quod habet* naturam intellectivam; homo vero, *quod habet* utrumque; Socrates vero, *quod habet* omnia haec cum materia individuali; et secundum hanc identitatis rationem intellectus noster unum componit alteri, praedicando. (Summa th. 1. p. q. 85. a. 5. ad 3.)

528. *Scholion.* — *Distinctio inter accidentia simpliciter dicta et modos seu accidentia modalia.* Non pauci e doctoribus scholasticis sequiori aevi (1) distinctionem quandam instituunt inter *accidentia*, quae sint simpliciter talia, et *modos*, seu *accidentia modalia*. Ita prae ceteris Suarez (Metaph. D. 7. sect. 1.). Haec distinctio non est facile reprobanda, necessaria tamen videri non debet. Quare non puto esse discedendum a modo loquendi antiquorum, ac speciatim D. Thomae, qui generali nomine *accidentis*, vel *formae accidentalis* comprehendere conseruerunt actum quemcumque verum et realem, qui in genere substantiae non contineatur. Lieet etiam, si lubet, talem actum vocare *modum* eo loquendi more, quo S. Thomas sic appellavit qualitatem quamcumque accidentalem (Summa th. 1. 2^{ae} q. 49. a. 2.).

(1) Consulto dixi hanc distinctionem antiquioribus scholasticis fuisse incognitam. Quare ipse Suarez loquens de distinctione modali, prout contradistinguit ex ipsis mente distinctione reali, seu *inter res et rem*, ut ipse loquitur, haec habet. "Ex his et similibus Aristotelis testimoniosis nullum firmum pro hac sententia de modali distinctione argumentum desumti potest; et idem sentio de Divo Thoma, et de aliis antiquis auctoribus, qui fere semper utuntur vocibus distinctionis realis et rationis in priori sensu supra explicato, et questionem, in qua nunc versamur, *distinctio non tractant.*" (Metaph. D. 7. sect. 1. n. 13.) Sensus porro, cuius hoc loco meminit Suarez, hic est, ut nomine distinctionis realis intelligatur, quae est inter extrema positiva antecedenter ad mentis operationem, nomine vero distinctionis rationalis intelligatur ea quae rebus attribuiuntur ex mentis consideratione. Similiter Hurtadas in sua *Metaphysica* Disp. 15. sect. 2. n. 10.) fatetur: *Apud antiquos, ait, non fuit tam exacta disputatio de modis et rebus.*

Accedit, quod si velimus cum recentioribus istis scholasticis modum ab accidente distinguere, difficile admodum videri poterit definitionem tradere, quae vitiosa non sit, et accidentia, quae modi non sunt, minime comprehendat. Si enim dicatur cum Suarez loc. cit. modus esse quidem positive ac re ipsa distinctus a subiecto, quod afficit, non tamen esse *ens in rigore, nec offerre novam entitatem propriam subiecto*: merito alicui videri poterit talis descripsio vel communis omnibus accidentibus, ut quae potius entis entia, quam entia simpliciter dii debent, vel contradictionem in ipsis terminis continere. Quod vero essentia modi constitutatur, prout multi alii explicant, *in actuali exercitio communicationis seu unionis suipscis cum subiecto cuius est modus;* id duplicitate rursus intelligi potest. Primo, quatenus quidditas talium modorum sit ipsum *inesse* subiecto, cuius sunt modi. Hoc autem falsum est, ut ante notavimus cum S. Thoma [516, 1]. Secundo ita intelligi potest, quatenus dicantur modi ea accidentia, quae nec de potentia Dei absoluta conservari queunt, remoto subiecto, cuius sunt modi. Sed certe, si res ita intelligatur, in hoc genere modorum collocari deberent ipsi actus virtutales, habitus et virtutes infusae, quippe quae, si non absurdare, gratis certe fingerentur per divinam potentiam conservata extra animam vel spiritum, qui eis informet. Porro, si quae sunt accidentia vere et simpliciter talia, quaeque sint vera res distincta a substantia, ea profecto sunt huiusmodi actus, habitus, et virtutes. Quare ne praesentem questionem hisce novis distinctionibus minime necessariis plus aequo litigiosam reddamus, consulitus ducimus ab eis abstineremus, et sapientiam antiquiorum etiam in loquendo sectari.